



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio LXVI. De interventu solennitatum ex antiquitate temporis
præsumendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)



TITULUS XXIII.

De Præsumptionibus.

DECISIO LXVI.

De præsumpto ex antiquitate temporis interven-
solennitatum, quæ requiruntur ad res Ecclesiasticas
immobiles alienandas.

SPECIES FACTI.

Monasterium Monialium Ordinis Cisterciensis in Provincia B. situm possederat olim bona quædam immobilia cum jure decimandi in aliquo oppido alterius territorii, cujus Princeps, postquam à fide Catholica defecerat, etiam in bona Ecclesiastica, ut hæreticorum mos tum ferebat, involavit, & præfati Monasterii extranei bona cum decimis suæ Cameræ attribuit sub specioso titulo Emptionis, super qua Instrumentum erigi curavit, in quo, adhuc existente, Abbatissa & Conventus perhibentur hæc bona vendidisse ob majorem utilitatem, *vñt des Closters besserem Nutz/ und Frommes wegen/* ac insuper intervenisse dicitur tractatus cum Conventu, hujusque consensus, atque Principis Catholici, in cujus territorio Monasterium erat positum, tanquam Advocati consensus. De auctoritate verò Superioris Ecclesiastici,

seu de interventu consensus Episcopi vel Pontificis (cujus postea quoque consensus fuerat necessarius non tantum propter *Extrav. Abbatissa de reb. Eccl. alien. inter. Com. se de reb. Eccl. alien. inter. Com.* etiam quia totus Ordo Cisterciensis etiam quoad Moniales, jam nunc exemptus à Jurisdictione Episcopali) nulla profus facta est mentio. Contra hunc alienationis bonorum Ecclesiasticorum contractum quædam plura dubia, ex quibus valor ejusdem impugnari imò expugnari posset, tamen solennitas, quæ consilium in consensu & autoritate Superioris Ecclesiastici, de jure requisita, in dubio trahitur, utrum nimirum intervenisset nec ne. Certum quidem est, quod alio argumento probari nequeat quod intervenitus, quam Præsumptione lapsu longissimi temporis, imò vicennorum. Et hinc

QUÆRITUR.

Utrum Solennitas de Jure necessaria ad alienationem rerum Ecclesiasticarum in hac facti contingentia intervenire præsumi ex antiquitate temporis possit?

Uniconsultus quidam, aliàs probè Catholicus, & haud mediocriter doctus, tum privati commodi studio, tum ærarii publici Zelò nuper patres sui Principis contra Ecclesiam, quæ sibi hæc bona restitui petiit, suscepit, & consensum Superioris Ecclesiastici legitimi intervenire præsumendum esse fidenter supposuit. Quod suppositum coloratur l. ex l. 1. C. de contrah. & committ. Stipul. l. Sancimus C. de V. S. ubi, si dictum est, aliquem cavisse, præsumitur adhibita stipulatione, quæ est solennitas cautionis, promissæ. Concordat S. si scriptum in si. de inutil. stipul. l. Juris gentium. §. quod serè ff. de pat. §. l. lecta ff. si cert. petat. Unde Doctores cum Oldr. cons. 217. inferunt, præsumi præsentiam ejus, qui dicit se Investitum, & Notarium fuisse rogatum, qui dicit, scripturam suam esse authenticam; quia præsentia Investiti est solennitas investitura, & rogatio Notarii est solennitas scripturæ authenticæ. Idem est in contractu emptionis - venditionis; præsumitur enim intervenire pretium; cum sine pretio non consistat emptio-venditio II. Quando post actum gestum jam fluxit tempus longum 10. annorum, præsumitur solennitas adhibita, ut si dominus vult revocare emphyteusim ab emptore ex causa, quòd suum con-

sensum in emptionem non præstiterit; præsumitur enim ex lapsu 10. annorum consensus præstitus. Jason in l. sciendum. n. 17. ff. de V. Obl. Felin. in c. sicut n. 29. de Sent. & re jud. Alex. Conf. 111. l. 4. quamvis Anton. Gabriel. l. 1. conclusionum tit. de præsumpt. concl. 1. n. 12. referat alios, qui volunt requiri cursum longissimi temporis, qui in præsentia casu non defuit. III. Quando solennitas quidem non fuit enuntiata in ipso actu, allegans tamen illam est in possessione, uti in præsentia facta, ac insuper fluxit tempus; juxta quosdam decem annorum, juxta alios 30. annorum spatium, & juxta alios tantum temporis, quantum viderur sufficere Judici, ut videre est apud Menoch. l. 3. præsumpt. 132. à n. 61. præsumendum est, solennitatem intervenire, modò Pars, cum qua contractus est initus, non neget, solennitatem intervenire, ut si Canonici negarent intervenire consensum Capituli in alienatione rei Ecclesiasticæ. IV. In specie præsumuntur solennitates adhibite in rerum Ecclesiasticarum alienatione ex diuturnitate temporis, ut plurimis allegatis tradit Mascardus vol. 4. v. solennitas concl. 1323. n. 13. Denique. V. Ratio horum omnium est, quòd in dubio ita sit facienda interpreta-

terpretatio, ut potius valeat actus, quam pereat per l. 3. ff. de testam. milit. l. quoties 81. de V. O. c. Abbate sane ibi gl. de V. S. ergo, ubi solennitas requiritur ad valorem actus, uti consensus Superioris Ecclesiastici in alienatione rerum ad Ecclesias pertinentium, præsumendum est, eam fuisse adhibitam.

Sed errat, & vehementer errat in suo supposito memoratus Jurisconsultus, dum præsentis rei circumstantias vel omnino non expendit, vel privatò in suum & Principis commodum studiò impediendo non satis attendit. Haud dubiè enim noverit, præsumptionem illam, quam parit diuturnitas temporis, de adhibitis solennitatibus, quas de Jure requirit actus, admittere probationem in contrarium, ut statuunt Doctores communiter omnes cum Gabrieliò, Menoch. Masc. eamque elidi posse per præsumptionem aliam fortiozem in contrarium. Cravett. de antiq. temp. p. 3. art. 1. n. 27. Steph. Lambert. tr. de statut. V. consensus. n. 71. ac insuper non paucas limitationes hujus suæ doctrinæ afferri ab Auctoribus, ita ut sæpe intervenit solennitatis, præsertim extrinsecæ, non præsumatur ex lapsu temporis, quæ ad præsens quoque negotium applicabiles sunt, uti videbimus. Priùs tamen adverto, solennitatem actus aliam esse & vocari *intrinsecam*, quæ nimirum est de substantia actus, ita ut secundum legis dispositionem ex natura verborum censetur intervenisse, seu est illa solen-

nitatis, quam natura verborum comprehendit, ut ait Bart. in l. finit. ff. de V. O. quem alii passim sequuntur: sic ubi pronuntiat solennitas, statim intelligitur solennitas illius, qua nequit subsistere, nimirum rogatio & subsecuta responsio, am verò *extrinsecam*, quæ est extrinseca, & aliquid facti ab ipso cui adhibetur, separati: scilicet extra actum ipsum, & iste sine illa stare potest, tamen si lex actum tanquam minus solennem non probet: ut si contraxisti cum Papulo auctoritate Tutoris, vel decreto dieis, Menoch. lib. 3. præf. 132. n. 3. Talis solennitas extrinseca est, am consensus Capituli, & auctoritate legitimi Superioris in alienatione rerum Ecclesiasticarum. His actibus Censeo, in præsentibus temporibus ex lapsu etiam longissimi temporis plusquam centenarii, solennitatem consensus Superioris Ecclesiastici de Jure ad valorem alienationis necessarius, non posse prudenter sumi. Probatur I. ex instrumenti emptionis - venditionis, in quo videtur quidem intervenisse tractatum consensus Capituli, atque consensus Domini territorialis Laici respectu nialium, at de consensu Superioris Ecclesiastici altum est silentium: et prudenter præsumi non potest, consensus, adeoque omnem solennitatem extrinsecam, de Jure necessariam ad valorem alienationis, intervenisse; nam incredibile est, mentione hujus consensus omittitur

accessisset alienationi, cum reliquo-
rum consensus necessarius tam sollicitè
sunt expressus, ubi enim ex duobus
affertur unum, & alterum tacetur,
tacite insinuat, imò tacita con-
fessione conceditur alterum abfuisse.
arg. c. *adone* 5, h. t. tratatium enim est,
quod illud, quod de uno dicitur, de
altero negetur. l. 12, pr. ff. de *Judic.*
Boenus *decis.* 298. n. 4. Ferd. Christ.
Harprecht *Conf.* 4. n. 456. quam Re-
gulam pontificium in Legum, Statuto-
rum, Instrumentorum, & quorum-
vis Contractuum interpretatione pro-
cedere scribit Barbosa l. 1. c. 54. *axi-*
om. 2. Unde rectè pronuntiavit Klok.
to. 1. *Conf.* 35. n. 67. *seqq.* § *to.* 2.
conf. 11. n. 79. cum Natta, Socin. Alex.
Buriato, Valasco & aliis, omissionem
solennitatis probari eo ipso, quod in
instrumento alienationis non expri-
matur; quod tunc saltem procedit,
quando in instrumento non omnino
nihil dicitur de solennitate, sed enun-
tiatur solennitas, at non omnis, & non
legitima, ut si una, v. g. consensus
Superioris, omittitur. Cravetta *tr. de*
antiq. temp. p. 3. n. 27. cum Paul. de
Castro *Conf.* 81. Felin. Decio, Jafone,
Abb. Curtio, favet quoque Menoch.
l. 3. *præs.* 132. n. 79. cum innumeris,
quo casu nec in facto antiquo, etiam
memoriam hominum excedente, vel,
uti in substrato, etiam sesquisæculari,
intervenus solennitatis extrinsecæ, aliàs
sontè præsumendus, probatur adfuisse
ex instrumento alienationis. Harp-
precht. n. 113. Gabrieli *comm. con-*
clus. l. 1. *tit. de Præsumpt. concl.* 1. n.

57. 58. cum plurimis. Ratio, quia
credibile neutiquam est, in Instrumen-
to emptionis, ubi diligenter expressa
est solennitas tractatus & consensus
Conventus ac insuper Domini territo-
rials Laici tanquam Advocati, omis-
sam fuisse solennitatem consensus le-
gitimi Superioris Ecclesiastici, si ea
intervenisset; eò quod Moniales pro-
bè noverint, & nôsse præsumendæ sint
necessitatem hujus solennitatis ad va-
lorem alienationis, æquè vel magis
requisitæ à Jure, ac solennitas consen-
sus Conventus requiritur. Adde,
quod consensus & licentia Episcopi
vel Papæ admodum diligenter exprimi
soleat, si impetretur, & in Archivis
Episcoporum & Registris Curie Ro-
manæ annotari, si concedatur: sed de
consensu hoc nec in Archivo Episcopi,
nec in Registro Apostolico quidquam
reperitur, nec inde ullum testimo-
nium afferri potest: ergo præsumptio
fortissima est, eum non peti, non
datum esse.

Probatur II. positivè ex circum-
stantiis hujus alienationis; nam emptor
fuit Princeps, qui à Fide Catholica
paulò antè defecerat, & notoriè bona
ad Ecclesias & domos religiosas,
etiam suæ ditionis, spectantia invasit
sacrilegè, legitimisque possessoribus
erepta suæ Cameræ attribuit, vel aliis
divendidit, secundum novæ Sectæ
doctrinam, quæ omnem Episcopis
Catholicis, & summo Pontifici, quem
etiam pro Antichristo proclamabant
pessimi Apostatæ, auctoritatem &
potestatem impiè denegavit, supe-
riori-

rioritate etiam in rebus Religionis Principi territoriali Laico attributâ, ac Religioforum hominum vivendi ratione tanquam superstitiosâ damnatâ: quis ergo credat, quod mitius habuerit Moniales extra suam ditionem existentes, & bonis ad externas Ecclesias ac Monasteria pertinentibus magis pepercit, nec ea quocunque modo, per fas & nefas invadendo, suâ Camera intulerit, quâsitis titulis coloratæ emptionis, permutationis &c. præsertim si ea ad cœtus saminarum, aliâs magis timidarum, spectârunt.

II. Quis credat, talem Principem, qui haud dubiè venditionem bonorum etiam pro pretio iniquo, & fortè nec soluto, extorserit ab iisdem, fructuum perceptionem omnem desperantibus, petiisse vel peti permisisse consensum vel Episcopi, vel Papæ, quos ut Antichristos, vel ut superstitiosos Popas habuit? Quis credat, Episcopum vel Papam, etsi consensus ab ipsis fuisset in talibus circumstantiis petitus, consensuros fuisse, vel consentire potuisse in alienationem bonorum Ecclesiasticorum in Hæreticum, & Ecclesiæ juratum hostem faciendâ cum tanto piarum foundationum, religioforum hominum, & cultûs Divini præjudicio irreparabili ac perpetuo? Nihil prudens profectò, nemo sanè; cum omnia Jura, Divina, Naturalia, & Humana obligent Antiflites Ecclesiasticos velut bonorum Ecclesiasticorum Administratores (non Dominos) ad ea penes Ecclesias juxta piorum Fundatorum intentionem, cultûs di-

vis incrementum præcipue spectatum, conservanda, & non alienanda in Laicos, maxime Hæreticos, & fidei desertores ac hostes, acque Ecclesiæ persecutores. Atque hæc præsumptio de non petito & non consento legitimi Superioris Ecclesiastici consensu tam est evidens, tamque violenta, ut præsumptio consensus dati, in diuturnitate temporis, etiam immemorialis & secularis, fundatam plenitissime vincat, elidat, præsertim cum præsumptio lennitatis extrinsecæ ex solo tempore etiam longissimi, lapsu vocetur in frivola & fragilis præsumptio. *Nov. conf. 162. n. 29. Masc. concl. 12. 42. & hinc per aliam fortiorè & totaliter enervetur, Harpp. n. 584. cum aliis.*

Probatur III. Præsumptio solentis extrinsecæ in alienatione reum ecclesiasticarum cessat, quando alienationem fuisse damnosam, vel imprudenter, consequenter improbatam est, quod Papa, vel Episcopus approbare voluerit. *Card. de alienat. & contractib. probat. disc. 1. n. 93.* non enim est admittenda præsumptio in iis, in quibus verum dari non potest, ut sapius firmatum fuit per Rotam Romanam, *ubi de 83. & 348. p. 11. & decis. 320. recent.* sed constat, hanc venditionem bonorum Ecclesiasticorum, factam Principi Hæretico, fuisse Monialibus damnosam, & causam utilitatis abesse, uti ex facto evidens est. Nec ut probatur ex instrumento venditionis

nis, in quo asseritur, eam factam esse ob majorem Monasterii utilitatem, von des Closters besserem Nutz / und Stromes wegen; nam non sufficit hoc in Instrumento alienationis asseri, sed publicum & speciale instrumentum, in quo fides fiat tractatus de majori utilitate verè reperibili, alienationem præcedere debet ex communi DD. & Interpretum traditione. Harprecht laudatus n. 110. signanter Menoch. l. 3. præf. 133. n. 17. 18.

Prob. IV. Omnis præsumptio solemnitatis in alienatione rerum Ecclesiasticarum adhibite fundata in lapsu temporis, nisi hoc sit centenarium, hodie inutilis est ob Constitutionem Urbanæ VIII. de anno 1641. præsertim ubi alienatio est facta in Principes & Potentes, Card. de Luca n. 94. cum decis. Rotæ 268. p. 12. Recent. sed tempore, quo edita est dicta Constitutio, nondum omnino fluxerant 100. anni à facta alienatione, imò, licet fluxissent, vel tempus centenarium non deberet computari à die alienationis, & solum tempus longissimum (nam longum 10. annorum non sufficit ad præsumendam solemnitatem teste Luca) sufficeret, quod jam completum fuisset tempore dictæ Constitutionis editæ, tamen propterea non fieret utilis præsumptio; quia præter tempus longissimum, centenarium minus, ipse Card. de Luca requirit possessionem veram & pacificam; sed verà & pacificam possessionem dici non potest ex parte Principis Hæretici, utpote cæpta & continuata cum mala (R.P. Pichler Decisiones.)

imò pessima fide, ac insuper ob defectum potestatis non impugnabilis ex parte Monialium, quæ contra Principem Hæreticum, qui iniquè & notoriè invalidè propter defectum causæ extorsit venditionem, agere in Judicio non potuerunt: ubi enim & coram quo Judice debuissent vel potuissent ipsum convenire utiliter & cum spe obtinendi & recuperandi bona sua? vid. Decius cons. 412. n. 22. Olfæcus decis. 173. n. 5.

Prob. V. Præsumptio Solemnitatum extrinsecarum ex lapsu temporis, etiam immemorialis, non ita crudè, Judaicè, & simpliciter intelligenda est, sed primùm tunc obtinet locum, quando in ea se fundans allegare potest titulum justum non merè præsumptum, cui innitatur alienatio rerum Ecclesiasticarum; ne aliàs præsumptum fundetur super præsumpto, seu præsumptio interventus solemnitatum super titulo præsumpto. Card. de Luca diss. 1. cit. n. 89. sed titulus justus & legitimus, qui in substrato deberet esse emptio-venditio, non est legitimus & justus, cum constet eam fuisse iniquè extortam à Principe, hæresim amplexo, absque justa causa ad alienationem requisita, atque cum evidenti damno Monasterii Monialium.

Prob. VI. Ad hanc alienationem fuisset necessarius consensus Papæ, quia id non tantùm requirit Extrav. Ambrosiense int. Com. de reb. Eccl. alien. de cujus observantia in Germania dubitari potest, sed etiam exemptio Monialium Ordinis Cisterciensis, quarum

Y y

im-

immediatus Superior jam tum fuit Papa: atqui Papam consensisse, ex eo etiam capite redditur incredibile, quia Papa non præsumitur consensisse. Felin. Alex. Gabr. n. 4. nisi probetur, Papam scivisse, contractum sic esse celebratum, Menoch. l. 3. præf. 132. n. 71. cum Bald. Alex. Afflict. Cravett. Felin. Ripa, Masc. & aliis: sed non potest probari, Papam scivisse quidquam de præsentis contractu venditionis bonorum Ecclesiasticorum: ergo.

Prob. VII. Ex cursu temporis solemnitates extrinsecæ non præsumuntur, quando instrumentum, in quo solemnitates, uti hic saltem aliquæ, reperiuntur expressæ, nullam aliunde facit fidem, Bald. Imol. Corn. Crav. & Socin. apud Menoch. n. 78. atqui hoc instrumentum aliunde nullam facit fidem, quia testificatur de Decimis quoque venditis, quæ sunt aliquid spirituale, & sic vendi nequeunt, contractumque emptionis-venditionis reddunt Simoniacum ac nullum.

Taceo, quòd plurimi Auctores asserant I. Præsumptionem solennitatum ex cursu temporis non habere locum contra Minorem vel Pupillam. Gabr. n. 59. Menoch. præf. 132. n. 86. Alex. Conf. 94. n. 6. l. 7. sed Ecclesiæ gaudent jure Minorum, & Pupillorum. II. Non procedere de Jure Canonico, sed tantum de Jure Civili. Gabriel. commun. conclus. l. 1. tit. de Præsumptionib. concl. 1. n. ult. cum Aretino: sed in alienatione rerum Ecclesiasticarum debet observari Jus Canonicum. III. Non admitti, quando agitur de

valde magno præjudicio alicujus, pro fertim Ecclesiæ. Bart. Dec. Jal. Gabriel. n. 53. Masc. concl. 132. n. 71. Pruckmannus vol. 2. conf. 1. n. 13. ubi plures accumulatur, Harprecht. 586. sed Ecclesiæ seu Monialium Monialium ex hac venditione gravissimum subit præjudicium: ergo.

Occurrendum nunc est ob hoc initio scrupulis. Negatur itaque suppositum, cui nimium confidit Consultius. Color primus ex cit. legibus mutuatus malè applicatur, quia illæ leges loquuntur de solemnitatibus intrinsecis, quas, nisi materialiter sint, regulariter præsumi, etiam in cluso lapsu temporis, concedendum communi, apud Menoch. præf. 132. cit. n. 4. segg. & Masc. præf. 132. n. 7. at nobis sermo est de solemnitatibus extrinsecis, quæ in alienatione Canonica vel maxime est autoritas & consensus Superioris Ecclesiastici. In exemplo ubi de interventu pretii in emptione-venditione præsumendo non est Doctorum consensus; nam Communior apud cit. Masc. n. 8. segg. segg. interventum pretii præsumendum esse; cum hæc solennitas intrinsecè materialis, cum pretium pro qualitate rerum & conventionis variabile sit, quod procedit, ubi principaliter agatur super pretio, ac de valore nullitate emptionis-venditionis ex defectu pretii.

Color secundus etiam non quadrat ad propositum; quamvis enim præsumi possit consensus Domini dicitur

in alienationem, ab Emphyteuta factam, ex lapsu temporis sive 10. sive 30. annorum, sive pro arbitrio Judicis tempus merientis, ut diversimode sentiunt Doctores; tamen id non procedit de præsumendo consensu Superioris Ecclesiastici in alienationem rerum ad Ecclesias pertinentium præcisè ex lapsu 10. vel 30. annorum, ut habet Communis, imò nisi lapsi sint 100. anni post Constitutionem Urbani VIII. de qua supra. Imò licet 100. aut 150. anni, aut tempus immemorabile fluxisset, exinde tamen non præsumi potest interventus consensus Superioris Ecclesiastici, ubi ex ipso instrumento, in quo enuntiat aliquam solennitatem omisso tamen Superioris consensu, probatur contrarium, vel probatur nullitas ipsius instrumenti, aut constat alienationem fuisse damnosam Ecclesiæ vel imprudentem, aut vitiosam fuisse vitiosam, aut quando necessarius fuisset consensus ipsius Papæ, aut quando ex circumstantiis apparet, consensum Superioris Ecclesiastici nec petitum, nec datum fuisse &c. quæ omnia in præsentibus casibus concurrunt, & manifestum patetque faciunt, saltem præsumptivè, consensum legitimi Superioris non fuisse adhibitum, adeoque præsum-

ptionem solennitatum extrinsecarum ex lapsu temporis depromptam totaliter elidunt, ac enervant; licet his seclusis possit habere locum præsumptio adhibitæ solennitatum ex lapsu temporis etiam in alienatione rerum Ecclesiasticarum saltem juxta Communiorem, de Jure quoque Canonico, ac ubi agitur de gravi præjudicio Ecclesiæ, & nos transmittimus.

Tertius Color obliteratur ex primò dictis, uti & *Quartus*; nam non intervenisse consensum Superioris legitimi probatur ex instrumento emptionis-venditionis, in quo aliqua solennitates enuntiantur, consensus Superioris tacetur: ex circumstantiis, ex quibus redditur incredibile, consensum Superioris legitimi, præsertim Papæ, petitum fuisse, aut datum: ex defectu justæ causæ ad alienandas res Ecclesiasticas necessariæ ad oculum patiente &c. *Color quintus* facillimè abstergitur per distinctionem: præsumendum est potius pro valore actûs, & adhibita fuisse omnia ad eum necessaria, quamdiu contrarium non probatur efficaciter, aut fortior præsumptio non pugnat in contrarium, conceditur: secus, negatur. Nam præsumptio debet cedere veritati, ut habet gnomo Juridica.

